

lidissimis ferratisque ac magno jumentorum numero egeant, 1490 quibus sustineri atque regi possint. Fistulæ e ferro sunt, gestanturque singulis ab militibus singulæ ligneis alligatae armamentis, per quæ capiuntur, & pulvere ad ignem celeriter comprehendendum idoneo infaciuntur, & glande immissa humeris sublatæ in hostem convertuntur. Eo telo qui uti scirent, ut reipublicæ suppeterent, peritissimos ejus rei homines undique conquisitos accersitosque, Decemviri suas ad urbes miserunt, qui juventutem instituerent: atque ut agrestes maxime homines id armorum genus docerentur, singulis in vicis pagisque uti duo puberes ei artificio assuefierent, edixerunt: atque iis omnium onerum immunitatem concesserunt, quo studiosiores & diligentiores unum ad id munus obeundum reliquis liberati oneribus ac tributis fierent: eosque puberes die dicta ad suum quosque oppidum quotannis signo glande feriendo convenire voluerunt: qui vicisset, ejus toti pago aut castello vacationem esse munerum annuam, eo excepto munere, quo ad Medoaci fluminis derivationem tenebantur, imperaverunt. Inter hæc cum antea fures domestici lege antiquitus instituta poena multo leviore plecterentur, quam ii, qui eandem domum non incolerent: qua ex re fiebat, uti aucta servorum & inquilinorum audacia, omnibus pene in domibus furta exercerentur, majoribus in comitiis mense sextili lex est perlata, qua lege eadem esset in servos reliquosque fures contubernales poena constituta, idem jus, qua poena, quoque jure in alienos exteriosque fures animadvertere civitatis magistratus consueverant.

At ea quæ subsecuta est hyeme, tantus tamque perpetuus invium rigor fuit, ut omnia urbis æstuaria congelaverint: neque pedibus modo, sed in equis etiam homines ex agris ad extremum urbis marginem commeatibus importandis sine periculo ventitarint: magistratusque Mestrinus ad Secundi fanum, quod est in mediis ad urbem vadis, curru pervenerit. quibus quidem diebus etiam in media latissimaque urbis via, per quam unam naves onerariæ magnæ permeant, constricto glacie mari, niveque superad-

1491  
Glacies mi-  
ra in Vero-  
tis æstu-  
riis.